

XVIII

1559 (5)

ORATIO PARAENETICA

DE AVITA DOCTRINAE LAUDE RECUPERANDA

HABITA

AD SENATUM ET ACADEMIAM

VALENTINAM

XV. KALENDAS NOVEMBRIS ANNI MDCCCKVII.

A BONAVENTURA PRATS

SOCIETATIS JESU PRESBYTERO

EDITA

EX DECRETO EJUSDEM PERILLUSTRIS

VALENTINI SENATUS.

VALENTIAE EDETANORUM:

EX OFFICINA BENEDICTI MONFORT, EJUSDEM PERILLUST.
SENATUS TYPOGRAPHI.

PERILLUSTRI
VALENTINO SENATUI

BONAVENTURA PRATS É SOCIETATE JESU

FELICITATEM PRECATUR.

*E*quidem, si meas tantummodo per-
exiguas ingenii vires, exactamque jam
aetatem, honoris etiam magnitudinem,
quo superiori anno me immerentem, sin-
gulari tua benevolentia affecisti, spectare
voluisssem; fecissem profecto cautius, Peril-
lustris Valentine Senatus, meaeque fortas-
se existimationi melius consuluissem; si Te
praesente, et in media ipsa Clar. Val. Aca-
demia dicendi locum, privilegio scilicet
usus aetatis, melioribus concessissem.

Sed ubi Tuae demum, majorumque
meorum voluntati mihi parendum sensi;
id unum mihi reliquum fuit, ab omni

vera sapientia, quanta apud Te dicentem deceret, planè imparato, ut Argumenti saltem dignitate et magnitudine; non immeritò viderer, Valentinum Senatum, Valentinamque Academiam morari voluisse.

Itaque ea praesertim de re disserere institui, quam Tibi, P. V. S. de vera Patriae gloria, omnique civium bono dies noctesque satagenti, fore non injucundam putavi.

Non displicuisse autem hoc meum consilium Tuae amplitudini et sapientiae, Tuum illud Senatusconsultum, quo hoc etiam anno me meosque Socios honestasti, testem omnibus esse voluisti.

Qua quidem nova in me meosque Socios singularis benevolentiae significatione, novo etiam Tibi nos omnes grati animi, perpetuique amoris vinculo devinxisti.

Sed jam, quum Te, P. V. S. tot curis gravissimisque negotiis intentum probè noverim;

Ne longo sermone morer tua tempora...

VALE.

DE AVITA DOCTRINAE LAUDE RECUPERANDA

ORATIO PARAENETICA.

Hodierna die, quae me impulerit ratio, ut caeteris omnibus praetermissis, de quibus apud vos, doctos viros, oratio à me copiosè haberi posset, de avita potissimum doctrinae laude recuperanda dicere aggrederer: Vobis omnibus, Auditores amplissimi, qui magna sapientiae et prudentiae laude praestatis, opinor, in promptu est. Quum enim superioribus annis fidelitatis in Regem, amoris in Patriam, in Religione retinenda constantiae, in bellicis laboribus tolerandis fortitudinis, singulare cunctis gentibus specimen Hispania dedisset; illud nimirum, in tanto, tamque diuturno rerum motu necessariò accidit, ut bellica laude, bellicisque tantummodo studiis juventute inflammata, artibus pacis neglectis, Lyceis, Academiis omnibus dissipatis, redditibus etiam, quibus juvantur artes planè distractis; non parum (fatendum enim est quod videmus) non, inquam, parum à pristino illo ardore, ex omnimoda doctrina gloriae conquiendae discessimus. Haec igitur non sine magno animi mei moerore cogitanti mihi visum denique est, non nullum me operae pretium esse facturum; si veterem illa in omni artium optimarum, doctrinarumque Hispaniae nostrae praestantia ob oculos posita, Hispanam juventutem universam, Valentinam verò praesertim, ad illa pristina instituta laudis capessenda, dicendi vi, quam fieri posset maxima, excitarem. Sed quum tantam oneris, quod mihi subeundum

2
esset, magnitudinem diligentius existimare coepissem; meque ipsum penè defectum viribus agnoscerem, effoeta jam propè omni inveniendi, et exornandi vi; equidem in animo habui onus omne deponere, *quod vires ferre recusent*. Sed rursùm pulcherrima ipsa rei totius species animum percellabat, atque hujusmodi quaedam cogitatio mentem subibat: *quid si minus mihi nunc licet tot ingentia denuò pervolutare volumina, quibus hispanae laudes continentur? quid si jam penè evanidae praeteritorum studiorum memoriae erit fidendum?* Atqui non apud externos aliquos nostrarum rerum ignaros, ignotus ipse auditoribus dicam. Hispanus sum: Patria est: de Hispanis apud Hispanos loquar: Valentia haec est, magnae Hispanorum gloriae magna pars ipsa; erit igitur apud benevolos auditores paratus aliquis benevolentiae locus. Haec dum menti obversantur, A.A., mihiq; de vestra humanitate nihil non sperandum suadent; facilè non reluctantem animum, tam praecleara de re ad dicendum impellunt.

Iis igitur, quae remotiora sunt, nostrisque et temporibus, et verò etiam moribus, nimis sejuncta, hoc tempore praetermissis; ad ea deveniam, quae et imitatione aliqua, et aemulatione virtutis, Hispanae juventutis animos inflammare possint. Quibus pro mei tenuitate ingenii, diligenter primo loco propositis; tum denique vos, praestantissimi Hispani adolescentes, post faventes scilicet Superos, Hispaniae spes omnis, ad laudem, ad gloriam, ad virtutem, quibus potero maximè stimulis, excitare contendam. Vos interea, gravissimi, et sapientissimi majores natu viri, qui hisce stimulis minimè indigetis, pro vestro in Patriam amore, in me etiam benevolentia, paulisper attendite.

3
Quamquam mihi quidem, de avita nostrorum hominum gloria dicere incipienti, Theocriteum illud de Magni Ptolemaei laudibus evenire sentio

Τὸ πρῶτον παραλεξῶ: ἐπὶ πόδα μύξα εὐκρίην (1).

*quid primùm, quid deinceps dicam? quid cui anteferam? quid bellicis ne pacifica anteponam; an pacificis bellica? in ipsis etiam pacis artibus, an colonias toto penè orbe deductas; an scientiarum omnium Athenaea excitata; an legum praestantissimarum constituta; an artium humano generi utilium praeclearissima inventa; an artes ipsas, scientiasque tot doctis et laboriosis scriptis voluminibus illustriores redditas? Omnino quò me verum nescio, Sed nimirum bellicae laudes mirabili, nescio quo, planèque suo, fulgore praestringunt oculos, caeterisque omnibus, jure, an injuria, videntur praecellere. Hinc igitur exordium ducam. Sed in his etiam ipsis, quid potissimum laudem? Narrabo praeclearissimos duces? At astra citius percensebo. Dicam igitur debellatos hostes, receptas provincias, prolatum sine fine imperium, egregias per cuncta terrarum victorias, innumera, immania bella terrarumque pugnata? at quae me finis dicendi singula recensentem maneret? Illustriora igitur persequar, satis illa quidem futura ad gloriam, atque ad posteritatis memoriam sempiternam. Venio igitur ad clarissimas de Romanis, *terrarum dominis*, reportatas victorias. Etenim à duobus illis majoribus Scipionibus ad Augustum usque, tota quam latè patet Hispania acerrimè, atrociter, ducentis propè annis depugnatum est. Quoties hoc ipso terrarum solo majores illi vestri, fortissimi viri, exercitibus innumeris superatis, Consulibus, Praetoribus, millenis aliis ducibus aut victis turpiter ac fugatis, aut saepè etiam interemtis, victorem illum*

4
tot gentium populum moerore affectum (2), nonnunquam etiam timore, decisis humilem pennis abire fecerunt? Quid majores illos Scipiones (3) occisos, quid Metellos, quid Pompejos ingenti pudore affectos, et, nisi prodicione et fraudibus pugnare maluissent, aut capiendos, aut occidendos scilicet, aut certe pellendos? Putamus ne igitur per ea tempora aut Viriatos tantum, aut tantum Sertorios, (hunc enim, etsi ortu Romanum, tamen et opibus, et exercitiis, et amore, et animi magnitudine Hispanum voco) virtute et omni bellica praestantia claros fuisse? atqui si ita fuisset, nunquam toties et Baetici, et Lusitani, et Cantabri, et Astures, et Carpetani, et omne reliquum, quod latissimè patuit, Celtibericum nomen ignominia Romanos, Hispanos immortalis gloria allecissent. Nam quod ad Numantinos, et Saguntinos (4) spectat (quae laus propè domestica vos omnes, Valentini adolescentes, clarorum Edetanorum posteros propius attingit) ad aeternam bellicae fortitudinis gloriam, omnium gentium litteris celebratam, satis est appellasse. Sed nimirum non humano consilio, aut providentia, sed aeterna Creatoris Dei sapientia agente, aut stant res humanae, aut planè concidunt. Igitur sub Augusto tandem, regnorum omnium, rerumque publicarum fortuna vergente; suprema Hispaniae gloria, cessit et Cantaber, *sera licet domitus catena*; sed ita cessit, ut ipsi propè laureae Augustus immortalis, et Romae etiam fuerit creditus novus hic Hercules, *morte venalem petiisse laurum* (5). Sed haec fortasse copiosius pro magna Romani nominis fama: reliqua percurram breviter: non quod minora, imo et majora, et inaudita, et maxima; sed quod nunc non id ago, ut panegyricam orationem texam; cui elaborandae pa-

5
ter ipse Eloquentiae Isocrates non undecim (6), ut in Athenarum laudatione; sed totis ipsis viginti annis desudasset; sed ut ad id, quod secundo loco proposui, exhibita prius per summa rerum maximarum fastigia, brevi quadam imagine, facilius tandem accedam. Ac de Gothis quidem longae essent ambages, neque hujus fortasse aut loci, aut temporis. Venio ad immanem illam Sarracenorum colluviem, ex Africa in Baeticam provinciam, imò momento penè temporis per totam quam latè patet Hispaniam, difussam. Ac primùm, si manifesta fraus, si proditio inaudita abfuisset; nego unquam, Hispaniam, etiam si tota se in eam Africa effudisset, casuram fuisse. Sed ubi immenso, non militum; sed exercituum numero, veluti nubium, vento aliquo africo in adversam Europam delatarum, non tam victa, quàm fraude et prodicione opressa repente tota, et occupata est; tum verò egregium illud facinus, quod omnes mirentur aetates, quod nulla unquam gens alia imitata est, hispana virtus, atque animi magnitudo et sapientia aggredi instituit. Summis enim, non tam montibus, quam paucorum montium scopulis, natura ipsa loci munitis, evestigio occupatis; pietate in Deum, amore in Patriam, omnique militari virtute accincti majores illi nostri, ex antris illis, et scopulis semel progressi, retrò nunquam pedem tulerunt; sed bellandi peritia, et laborum patientia, faventibus manifestò Superis, constantia vero, quae propè humanum superat modum, adversis rerum saepissimè collectati, clarissimis relatis victoriis adversus hostes, et innumeros, et à bellicis artibus non imparatos; eò demum fortunae, et gloriae ventum est, ut nullo uspiam loco receptui relicto, barbaros tota Hispania superatos, in opposita Africae litora propulsa-

verint. § Heic quid ego patientiam militum, quid praestantiam Ducum, quid regii spiritus magnitudinem laudem? § Ducesne singulos appellabo? § singulas narrabo victorias? Dies me citius, Auditores, deficeret. § Cydem (7) tamen illum, propè vestrum, Valentini, toties in media bellica gloria cum adversa fortuna comparatum, tacere què possum? Magistros verò illos Ordinum Militarium iquos viros, boni Superi! Quo robore! Quo Patriae ac Religionis amore! Quàm obfirmato ad durissima bellorum animo! quorum si ex immenso numero excerpam aliquos, reliquos propemodum omnes injuria afficiam: Reges etiam sanè inclytos, Alphonsos, et Ramirios, et Ferdinandos insigne hispani nominis decus: Tertium praesertim illum, qui perpetua felicitate usus, prolatis totius Regni finibus, christiana pietate clarissimus, relictoque sapientissimo filio, mirum in modum rem hispanam omnem firmavit, atque auxit; tum illum etiam Quintum, undique eliminatis hostibus, pacata Hispania, regnandi artibus ubique percelebrem; hosce, inquam, omnes quae unquam obliterabit oblivio? Sed jam dudum, nobilissimi adolescentes, ad Gamas, ad Columbus, ad Cortesios, et Canos, et Magellanos, et Pizarros, tamquam ad aliquem inter heroes ipsos insigniorem Numerum (8) festinat oratio: quibus quidem hominibus, eorumque sociis gens humana universa

Quando ullum inveniet parem? Hor.

§ Quid enim mihi narres Lucullos, Pompejos, Scipiones, aut Julios, cum uno Cortesio comparandos? Quid Argonautas illos, quid Tyriorum Aegyptiorumque aut Afro-Sidoniorum incerta (9) mirari jam libeat, post Gamas, post Columbus, audaces revera illos Oceani omnia nova, omnia dura per-

peti? Tunc sine controversia Hispano-Lusitanorum et virtus, et sapientia, et fortuna super et Garamantas, et Indos, ultra anni Solisque vias, ad extremam usque Auroram, ad impervia et inaccessa magni undecumque Oceani

Protulit imperium. Virg.

Quamquam mirari satis non possum, unde haec tam nova, tam praeclara res, post mille quadringentos annos tandem futura, capitali illi Hispano Annaeo Senecae in mentem venerit. Omnino enim illius haec carmina vaticinantis animi furori (10) videntur simillima: non enim conjecturis agit, sed planè manifestò narrat futura

.....*Venient annis*

Saecula seris, quibus Oceanus

Vincula rerum laxet, et ingens

Pateat tellus, Tiphysque novos

Detegat orbes: nec sit tervis

Ultima Thule.....

Atqui hujus tam supra hominum fidem praeclarissimi, quod Romae tantò ante Hispanus homo cecinerat,

Dux foemina facti;

foemina, inquam, illa quidem, sed sapiens et ingens Isabella, et planè Hispana.

Neque hactenus tamen, Adolescentes optimi, Aragonensis Hispaniae clarissima bella vel leviter tetigi, non solum non contemnenda, sed vel maximis et nobilissimis ferè aequanda. Italiam dico toties victricibus signis peragratam, Gallorum in Italia impetum protritum saepe numero, et profligatum, receptam tam insigni facinore Siciliam, tot pugnas tanta cum laude terra marique pugnatas, tot classes, tot exercitus comparatos, tot Duces praeclaros, tot Reges et vincendi, et reg-

nandi laude praestantes, Valentinum omne nomen ereptum Mauris, Celtiberiae redditum; haec omnia, quos mihi Petros, et Jacobos, et Alphonsos, et Ferdinandos Aragonios auctores habuere! Neque tacendi hoc loco illi majores nostri, quos inter non exigua pars Valentini nobilissimi sanguinis fluxit, Almogarabes dicti, homines, ut mihi quidem videntur, ex aere, aut duro robore, non nervis et carne conflati. Quid ausi fuerint, quid tot fuis exercitibus, tot relatis victoriis, per Asiam feliciter gesserint, quid, nisi ab Europa bello auxilia defuissent, penè confecerant; omnem propè Historiae, tametsi certissimae, superat fidem. Post haec quos ego potissimum nominem? Cordubam ne illum Ferdinandum, Magnum sanè Ducem, verissimum belli fulmen? an te, Albornozii clarissime, multis mihi nominibus saepè appellande? uterque sine dubio Hispaniam vestram omni bellica laurea per Italiam: Albornozius verò etiam Musarum et pacis artibus, decorastis. Quid si ad Septentriones convertatur oratio? Quos ego ibi, ut innumeros mittam reliquos, Federicos, Antonios, Ferdinandos, totumque illud Albani nominis agmen aspiciam? Quid illos per Hollandicas paludes heroas memorem, qui quum Batavis negotiatoribus, non tam hostes humano sanguine creti, quam ab irato Oceano in eos monstra natantia immissa, viderentur; terrore illos prius, et stupore percussos superarunt? Sed ut bellis, pugnisque et triumphis, omnique militari veterum Hispanorum gloriae modum aliquem ponam, ad Lepantum navale certamen, clarissimumque triumphum, leviter tangam; teque, Joannes, toties hispanae gloriae decus addite, omninò mihi indictum abire non patiar. Te Maurorum, Te Othomanorum, te omnis Sarrace-

nae gentis terrorem, victoremque, te inquam omne quodquod ubique fuit christianum genus, te Oratores, te Historici, te divini Vates, de omnibus scilicet praeclare meritum, posteritatis memoriae commendarunt. Atque utinam non nullius mortalium (11) (invidiam sunt qui appellant, sunt qui imbellem potius timorem, sunt etiam qui prudentiam vocent) quidquid illud tandem fuerit, si id abfuisset: nae tu uno impetu, Dux invictissime, aut altera, aut tertia, aut multum victoria, totum illud Europae nostrae dedecus ad ultimas Asiae solitudines, ultràque mare Caspium projecisses? Sed pugnarum, et triumphorum, et bellicae vitae majorum gloriae haec pauca, ut opinor, fuerint, Adolescentes Hispani, satis superque. Ea enim quibus et superiori, et praesenti saeculo, non degenerem se, nec imparem majorum gloriae hispana virtus ostendit, et illustriora, et notiora sunt, quam ut hoc loco in memoriam revocanda esse videantur. Praesertim quum non ea mens sit, ut aut Apologiam, aut Panegyricum texam; sed ut Hispanis omnibus adolescentibus, Valentinisque praesertim, majorum nostrorum sive belli, sive pacis artibus ob oculos positus, quibus illi clarissimi fuerunt; auctor denique iisdem gravissimis verbis sim, ut eandem viam ad laudem, ad virtutem, ad gloriam sibi insistendam ducant, quam illi institerunt. Nolite enim existimare, Hispaniae amor et spes, Adolescentes optimi, ita majores nostros victoriis fuisse et triumphis bellicis delectatos; ut non potius sibi de omni civilis prudentiae, omnisque doctrinae et sapientiae laude cum omnibus, et aequalibus et majoribus suis decertandum putarint. Ut enim aliquando et robore induratum corpus, et majorum laborumque patientia, ad aspera bellorum

adeunda et superanda fuerint satis: at iis in locis, iis rerum adversis, iis demum cum hominibus saepissimè illis, et diutissimè, cum pro imperio, tum pro gloria etiam, pugnandum fuit; ut nisi prudentia et astu, nisi consiliorum praecellenti vi, nisi omni et civili et militari scientia caeteris praestitissent; nunquam profectò animi tantum et corporis robore, superiores fuissent. § Quid enim? Potuit certè et patientia, et summa vi Cajus Caesar Galliam superare: potuit de nationibus Ponticis, natis, ut ita dicam, servituti, proposito tantum illo tot gentium victore exercitu, triumphare: at Pompei Magni in Hispania et filios, et duces, et exercitus; at Scipiones, et Catones in Africa, ut vix aliquando vinceret, quantum illi et astu, et consilio, et omnibus summae doctrinae, ac maximi ingenii viribus desudandum fuit. § Quanquam quid dico Caesarem? Ipsam illam florentem Romanam Remp. post tot gentes devictas, tot Reges exactos, tot eversas Resp. ipsosque etiam Italos et Siculos Graecos, doctos certè et perpolitos, sed theatris, et deliciis planè perditos; quum denique ad ipsam germanam Graeciam ventum est § quam illa repentè vim summorum ducum sibi oppositam sensit? Quos (12) Philopoemenes, quos Aratos, quos Agides, quos Lycortas, quos Cleomenes, ab omni doctrina omnique militari scientia (τακτικῆν Graeci appellant) paratissimos, illa Heroum patria excitavit? Profectò ita existimo; nisi, bonis omnibus avibus Romanae gloriae jam faventibus, egregium illud. Titi Flaminii ingenium, omnibus humanitatis artibus expolitum, ipsique (13) Isocrateo Timotheo ducem non imparè, Graecia tota amore viri et admiratione capta, amplexa fuisset, hymnisque et aris ad immortalitatem etiam consecras-

set; fortasse tandem Romana vis, immissis aliquot furiis, Syllisque (14) et Mummis, publicis humani generis odiis, sacram illam Musarum sedem delesset: vicisset, numquam. Eadem planè ratione, egregii Adolescentes Hispani, de majoribus illis nostris existimare debemus: Utcumque illis, quamdiu armorum vi, et robore, et constantia per ardua bellorum eundum fuit, praeclarè evenerint omnia: tamen ubi cum perita Gallia, cum docta Germania, cum omnibus et literis, et artibus exculta Italia, de gloria semper, de imperio saepissimè, certamen exstitit; nisi praecellenti doctrina, omnibusque, et humanitatis, et artium nobilissimarum instructi praesidiis accessissent; nunquam illam majores nostri ex illis tot certaminibus reportassent.

Haerentem capiti multa cum laude coronam. Lucret. Libet igitur, quando huc demum ventum est, totam illam avitam Hispaniae nostrae gloriam, ex omni doctrina, ex omni artium scientiarumque instrumento collectam, paulisper vobis, nobilissimi Adolescentes, ante oculos ponere. A Regibus igitur primum, quando nulla alia magis fortasse re caeteris gentibus, quam singulari clarissimum Regum praestantia, antistat Hispania; à Regibus, inquam, istiusmodi tam praeclarae laudis exordium ducam. Nego igitur quemquam Romanorum imperium alium Principem, ab Augusto ad Constantinum, duobus illis Hispanis Trajano, atque Hadriano; neque à Constantino Augusto ad extremum Augustulum, Magno illo Hispano Theodosio, sive bellicis, sive pacis artibus, omnique felicitate Reip. non dico superiorem totis quingentis annis, sed ne comparandum quidem vilisse. Atque haec remotiora, fortasse sunt illa quidem; sed ve-

ra; sed illustra, sed posteriorum imitatione dignissima, atque Hispaniae universae aeternum decus. Antiqua etiam ista; sed post illam clarorum Principum gloriam non tacenda. Inter privatas enim doctorum hominum laudes (Historiam excipio) nihil habent omnino quidquam ea tempora illustrius. Etenim post Augusti illam aetatem, quam ferè jam doctis hominibus placuit Auream dicere, quos habet Romana lingua, demptis Historicis, toto Argenteo subsecuto saeculo, hispani nominis scriptoribus aut numero plures, aut rerum utilitate et varietate, aut doctrina et elegantia superiores? Hyginum ego loquor, Poësi et doctrina clarum, unicumque Lucanum (15), cui frustra Papinii nives et fabularum rancidissimas fabulas velis opponere, Annaeumque Tragicum, Martialem, Silium, Columellam, Avienum, aliosque bene multos ex Hispania Poëtas: Latronem etiam Porcium Ciceroniae in dicendo gloriae, magno fortasse intervallo, sed tamen proximum. Te vero,

Gloria Romanae, Quintiliane, togae,

silentio praeterire non debeo, quem neque romana majestas, tandè sine admiratione vidit, neque posterior ulla aetas satis sibi laudatum putavit. Quamquam, si omnem modò illius aetatis Gaditanorum, Cordubensium, caeterarumque Hispanarum urbium doctorum hominum copiam in medium proferam; panegyrico mihi similis, quod minimè hodie velim, prodiret oratio. Itaque utrumque Moderatum, utrumque Senecam, totamque illam Annaeae gentis gloriam, appellasse tantum, et in memoriam revocasse sit satis. Ubi vero ad christiana prisca tempora accedas, quod fieri potest, ut aut summum Romani Pontificatus decus, Hispanum Damasum, et Magni Hieronymi amicitias ac contubernio, et

in omni literarum et doctrinae genere praestantia, et Pontificia summa laude clarissimum; aut christianorum poetarum omnium sanè Principem, Prudentium Clementem (16), omnino ne appellem quidem? Nam Isidoros, et Fulgentios, et Idatios et Pacianos, et Orosios, Poëtas, Historicos, scriptores omne genus hoc loco, ut remotiora mittamus; tametsi illa quidem plena gloriae, plena dignitatis, plena laudis, plena omnis ad omnia rerum maximarum studia incitamenti. Ad propiora, fortasse etiam illustriora, veniamus.

Principium rursus censeo à maximis Hispaniae Regibus esse sumendum. Ac res eorum bellicas ante narravimus: nunc pacis artibus quales, quantae fuerint dicam. Equidem sic existimo, ut caeteris in rebus cum nonnullis populis possit esse nobis aliqua fortasse contentio; in numero, ac praestantia clarissimorum Principum, omni regendorum, ornandorumque populorum scientia praecellentium, facile Hispaniam singulos ex omni memoria populos superare. Nam ubi tribus illis ex Hispania petitis Romani Imperii ornamentis, Trajano, Hadriano, et Magno Theodosio, ingentem illum Decimum Alphonsum addideris: insignemque hanc summae civilis, et virtutis et gloriae quadrigam toto terrarum orbe circumtuleris: quando ullam, in una quidem gente, parem invenias? Mitto veteres, extra omnem aleam positos: In uno Imperatore Alphonso quot quantaeque in omni genere laudis virtutes effulgent? Hunc ego si Archimedi illi, Mathematicorum clarissimo, privato homini Regem nobilissimum, comparem; id cur faciam, erit aliquis vestrum fortasse qui quaerat. Est apud Platonem (17), Adolescentes optimi, inter milles alios, in Theaeteto pulcherrimus locus, ubi co-

loribus ex ipsa aetherea luce petitis, veri sapientis animum, divinitus ille quidem, cujusmodi sit ostendit. Mitto caetera: hoc unum quod Archimedi, et Alphonso, conveniat, ex praeclara illa veluti tabula, excerpam. Nam corpus quidem veri sapientis, humi ait inter homines degere; animum verò ipsum inter astra versari. Atque haec certè et Archimedi, et Alphonso communia fuere: sed ita tamen communia; ut ubi Graecum illum laudibus, et admiratione affeceris; ad nostrum quod attinet, et planè obstupescas, et tuis ipse tandem vix oculis credas. Quod enim summus ille Geometra in mediis captae urbis, et ruina, et incendiis, et omni victoris exercitus militari tumultu, ipse interea et radio, et pulveri, et lineis, et astrorum cursibus totus affixus, nihil quidquam in tanto motu omninò persenserit, rarum et admiratione dignissimum: quod verò Magnus Alphonso annorum periodos, Lunae, Solisque vias, astrorum cursus, occasusque, et novos ortus, occursum etiam, et recessus, defectionesque, et qui videntur status, immensi laboris et magnae molis elaboratis tabulis, ad communem sapientum et usum, et stuporem descripta reliquerit; idque ea aetate, qua hisce de rebus teterrima telluri (18) ferè universae incuberat nox: neque hoc solum, sed interea et condendis legibus aeternum victuris, et suavissimis pangendis carminibus, et scribendae Historiae, et Naturae investigandis arcanis, et sedandis perpetuis bellorum tumultibus totus dies noctesque videretur incumbere; atque infèrea etiam magnis totius Europae permixtus civilibus aestibus, novus Solon, novus Trajanus ad regendum Romanum Imperium vocaretur; quis non fateatur in Archimede illo adumbratam quandam dumtaxat; in Hispano au-

tem Alphonso, illius apud Platonem veri Sapientis germanam, expressamque imaginem exstitisse. § Sed si laudibus Regum nostrorum immorari velim, quantum mihi temporis ad ea, quae supersunt, fuerit reliquum? Te tamen, Alphonso Aragonie, magnum atque perpetuum apud Neapolim et legibus, et institutis, et Academiis conditis, et doctis undequaque hominibus conquisitis, multisque aliis nominibus Hispaniae decus: Te, Jacobo, Regum per ea tempora felicissime, Balearice, Valentine, Maurorum terra marique depulsor, debellatorque, Valentino praestantissimo Regno non solum recepto, pacatoque, sed sanctissimis, et justissimis legibus stabilito: Te, Tertio Petre Aragonie, et pulsus turpiter ex Catalonia Gallis, et Sicilia summa civillium rerum industria et sapientia, non solum recepta sed etiam asserta, sane clarissime: Te, Joannes apud Castellam secunde, Justitiae assertor, doctorum et sapientum amator, a quo Aureum Hispaniae saeculum, ad Secundi Philippi exitum, initium ducit; quem veluti Augustum suum egregium Mena Vates, tuus Maro, aeternis carminibus celebravit: Te denique Catholice Ferdinande, cum Isabella foeminarum clarissima, matrimonio juncto, junctisque consiliis, ubique terrarum hostibus superatis, conjunctis omnibus Hispaniae Regnis, Insulis, et aperto ad oceanum Oceano eidem adjunctis; legibus, institutis, moribus domi militiaeque aut perpuratis, aut recens sapienter inductis, futuris omnibus ubique Regibus exemplar egregium; vos, inquam, omnes praeclarissimi Principes, insigni affecissem injuria, si talem tantamque, Hispaniae laudem praeterire voluissem.

Nunc ad privatos quod attinet Hispanos homi-

nes, insigniores scilicet tantum, et Academiis, artibus, scientiisque fovendis, augendis, propagandis per cuncta terrarum clariores quos prius, quos posterius dicam? Profecto post Regum clarissima nomina, illi sunt, ut mihi quidem videtur, ad imitationem et laudem vobis, Hispani Adolescentes, proponendi, qui regio sanguine orti, privatis rationibus institutisque floruerunt. Utrosque igitur, primum, alterumque Villenae Marchiones, et Viannae illum apud Cataloniam Principem et studiis literarum, et editis libris insignes; alterum vero illum Villenium (19), nisi centena ipsius manuscripta volumina malesuada cujusdam hominis diligentia flammis dedisset, clariorem futurum, raro per ea tempora exemplo, omni laude dignissimos iudico. Neque tu mihi, totique tui amantissimae Hispaniae, Gabriel infans, tametsi longo post temporis intervallo clarueris, hoc loco tacendus: quem literis studiisque omnibus, et quod caput est, civili prudentia, et christiana virtute ornatissimum, concilium Coelestium, nostris scilicet vitiis iniquum, apud se, ut speramus, recepit. Sed ad maiorum avitam gloriam redeamus: non enim mihi recentia hodierna die dicenda proposui, quae tamen hinc inde decerpta, non deessent amplissima; sed vetus illud omne egregium decus, veterem illam et copiam et praestantiam maximorum hominum maximarumque rerum, ita vobis simul omnia, clarissimi Adolescentes Hispani, ante oculos ponere; ut praeclaram istam animorum vestrorum indolem ad omnem excellentissimae cujusvis et virtutis et laudis amorem accenderem. Et quidem post illam Summorum Imperantium, Summorumque Pontificum gloriam; si quis ita existimet, post literas aliquo tandem pacto renasci coeptas, nihil per ea tempo-

ra, quod quidem ad Hispaniam pertinet, clarissimo illo Cardinalium Ordine, sanctissimoque Minorum Pontificum Collegio clarius, et doctius extitisse;

Et sapit, et mecum facit, et Jove iudicat aequo.
Horat.

Hospes plane sit oportet in Historia qui haec ignoret. Sed jam in rem praesentem, planeque nostram propius veniamus. Mitto Carvajalios, Quinonios, Cuevas, Turrecrematas, Mendozas, caeterorumque magnorum ex Hispania Cardinalium magna nomina: in uno Albornozio, altero Ximeno, ingentique Toletio hoc loco subsistam. Albornozium et omne Latinum nomen, et grata tanto viro Hispania maximis in coelum laudibus efferant necesse est. Nam ut pacatam Italiam, et majestatem auctoritatemque Pontificiam restitutam, et sexcenta alia illius summi ingenii, atque virtutis ornamenta praeteream; unum illud Bononiense Hispanorum Collegium ab ipso institutum, ex quo tot tamque praecleari in omni doctrina et sapientia instituti viri prodierunt, ad aeternam viri laudem, et Hispani nominis apud Italos gloriam satis esse potuisset. Ximenum vero integritate vitae, sanctitate morum, ingenio heroicis illis Hispaniae temporibus pari, fortitudine, civili prudentia, consiliis, magnisque animis Heroum suae aetatis omnium (Cortesium semper excipio, cui nihil unquam existimo, hunc Solem, qui collustrat omnia, vidisse quidquam simile, aut secundum) caeterorum, inquam, omnium facile Principem; quis hispanae verae laudis ardens amator, se laudasse satis existimet? Te quoque, Toletio Cardinalis amplissime, et Summorum Pontificum legationibus, et virtute et consiliis, et omni sapientia Romae clarissimum, magnis illis nomini-

bus libenter addam. Sed jam ad singularum Ecclesiarum Episcopos accedamus. Te ne igitur ego, Juliane (20) sanctissime, divinorum sacratorum dogmatum doctissime assertor, nec tam Toletanae, quam Hispanarum omnium Ecclesiarum ingens columen, quod non satis recentior fueris, reticebo? Ego vero te Magnumque Ildephonsum, Tajonemque doctissimum, quum inter vetustiores antea ne appellassem quidem, hoc loco, praesertim non antiquissimos, praetereundos non censui. Atque aliquando tandem ad Toletanum illum Rodericum, maximumque Abulensem, et Burgensem Alphonsum, tria suorum temporum lumina devenimus: ¡qua majestate viros! ¡qua virtute, qua sapientia praeditos! ¡quam demum et Romae, et Constantiae, et Basileae summis summorum hominum laudibus celebratos! Sed jamdiu ad Italiam scilicet et Tridentum festinasse oportuit. Eò vos, Hispani Adolescentes omnes, si quis in vobis superest verae laudis amor, quem superesse maximum scio, eò, inquam, vos tamquam ad amplissimum aliquod Hispanae gloriae theatrum, velim accedere. Nolite enim existimare, quidquam unquam (Nicaenis Confessoribus demptis) ex omni memoria Tridentino illo Conventu doctius et sacratius extitisse. Eò enim ex omnibus omnino ordinibus, quidquid eruditione, sapientia, virtute toto terrarum orbe, Catholici quidem nominis, praestantius fuit, citius seriùsve convenit. Sed agite, oro vos, templum illud augustissimum adeamus, totamque illam per tot annos clarorum virorum rerumque gestarum seriem celeriter ante oculos ponite. Circumspicite omnia diligenter. ¿Quo loco, quo tempore, quave in re non Hispani nominis aliquid caeteris antistare cernetis? Principio ipsos sacrorum Antistites, in ea

causa judices mirari oportebit. At ipsorum inter ipsos nonne Hispaniarum Episcopos et augusta quadam dignitatis specie, et eruditione, et eloquentia, et apostolica in ferenda sententia libertate, principes ubique fuisse fateri necesse est? Granatensi enim Guerrerio, Bartholomaeo illi Bracarensi, Noguera fortissimo, tametsi et Roma misso, et à Roma etiam Episcopatu aucto, Ilerdensi Antonio Augustino, Civitatensi Didaco Covarrubiae, Cervantesio Messanensi, postea Tarraconensi, et Cardinali, Ajalae Perezio, tunc quidem Segoviensi, postea Valentini Cives, planè vestro; quique, si deessent caetera, quibus Episcopalem Ordinem, virtute et scriptis cedro dignissimis decoravit, hoc uno nomine Ecclesiae universae debet esse carissimus, quod summum virum, summa doctrina, summa sapientia praeditum B. Ar. Montanum Tridentum secum adduxit, et splendidissimum illud Hispaniae lumen in illo orbis terrarum consilio collocavit: hisce, inquam, sapientissimis et sanctissimis Episcopis, caeterisque non paucis, quos Tridentum Hispania misit, ut facilè aliquem alicui eorum similem reperire possitis; tamen huic veluti summorum virorum choro, chorum alium, ex alia una gente, similem nullum ut arbitror reperietis. Neque ego reliquorum minorum Sacerdotum, doctorumque ex omni civium ordine clarorum Hispanorum numerum libenter praeteream. Quis enim te, clare Villalpandae Cardille, quis te, doctissime Salmero, quis te, Michaël Medina clarissime, quis te, Cane, teque, Lainez, magnum uterque Tridentinis Sessionibus lumen, quis Franciscum Orantium, quis Petrum de Soto, controversiarum christianarum peritissimos, quis Majoricensem Taxaquetium illum Thomasium, et Lactantio doctissimè edito, et omni canonico et

civili jure Romae egregie apud Pontifices pertractato, omni laude dignissimum; quis praestantissimos ad Concilium Oratores (21), Fontidonium nemini ejus loci secundum, Nogeratem, ignea dicendi vi paucissimis comparandum, quis Carvajalium et eloquentia et eliminatis schola, vel primo vel inter primos veteribus tricis clarissimum, quis denique tot alios praestantissimos viros, Hurtadum illum Mendozam, summis doctorum Itolorum laudibus celebratum, ac Franciscum de Vargas percelebrem virum (a non insigni viro insigni injuria affectum) (22) non aliqua saltem memoria prosequatur? Ac de omni Tridentina Hispaniae gloria haec pauca sint satis. Nunc si mihi per tempus liceret, Hispanas ego Academias, et earum alumnos per omnes hoc Sole calentes terras, doctrinis, et magisterio, et de omni quacumque praeclara re editis libris, notissimos, quo praeconio laudis extollerem? Quis enim te magnum Hispaniae decus, Salmantica et auctore clarissimo Alphonso, et institutis aeternum laudandis, et omnium optimarum artium et scientiarum magistris, cunctis Hispaniae, ac Europae catholicae fastis celebrata: te etiam Complutensis Academia, non certe degenere auctore, nec pudendis alumnis praestantissima, unaque illa (si innumera et praeclarissima abessent caetera) SS. Bibliorum Polyglotta editione, miraculi instar ejus aetatis doctis hominibus visa, et quamdiu aliquod literis pretium steterit celebranda; qui possum insalutatas relinquere? At te, qua coram, Hispanos omnes, Valentinosque praesertim adolescentes ad omnem majorum suorum laudem aemulandam, excitare contendo, Valentina Academia, auctoribus et statoribus quibus viris! Ferrerio et Vivesio; alumnorum gloria, et ex te veluti propagata non

sanè ignobili quondam Gandiensi Academia (23); te, inquam; externorum etiam laudibus celebratam, non ego certe hoc loco illaudatam relinquam. Nam Hispalense, Granatense, Sertorianum illud Hoscense, Barcinonense etiam, et Illerdense, recentiora praeterea non pauca Hispaniae Athenaea, praeclara illa quidem omnia; sed ea angustiae me temporis appellare vix sinunt: etenim vel unum Cervariense scientiarum omnium Institutum, ejusque Doctores recensere quanti esset temporis et laboris? Academicis igitur jam dimissis, singuli quanti fuerint breviter dicam. Ac priora, et veluti archetypa unde fluxerunt caetera, inspiciamus. Audio enim ego non sine ira quadam et indignatione persaepe, egregios majores nostros, bardos quosdam, et penè stupidos, sine ullo rerum judicio, fortes certe, sed planè illiteratos (24), scholasticos (odio et ignoratione nominis) a lepidulis quibusdam sophistarum externorum simiolis, et lavernis, uno ordine cunctos appellari. At nisi loquaculi isti summa rerum ignorantia laborarent, nunquam illi tam insigni injuria doctissimos majores nostros afficerent. Non enim, Adolescentes clarissimi, (testor ipsas majorum vestrorum umbras amore et veneratione dignissimas) non, inquam, parentes Hispanos, non altricem Hispaniam haec pestis habuit. Pyrinaei superandi sunt montes, peragrandia Gallia, Lutetia Parisiorum tandem adeunda; ibi insanientis hujusce sapientiae egregia incunabula reperietis. Non nostrum venenum illud bonarum artium fuit. Gladiatoriae illae Nominalium et Realium, non velitationes aliquae, sed diuturnae ad sanguinem, ad necem usque de nugis maximis, de lana caprina, de meris Arabum nebulis, pugnae, nunquam neque Regis neque Pontificis ex Vaticano minis, neque ipsa vi militum

satis sedatae; totum istud, inquam, quidquid veneni fuit, Gallicum fuit. Non Salmanticae, non Compluti, non Valentiae aut orta, aut alta est illa

Gens ratione furens, et mentem pasta chimaeris

Salmantica et doctissimis viris Alphonso Regi in magno tabularum opere adiutoribus datis, et Geometricis, Astronomicis, Musicis etiam artibus promovendis, et claris doctorum hominum scriptis, tum linguarum peritia, tum eloquentia, tum omni etiam sacrae et profanae antiquitatis laude praestantium, plures verae sapientiae duces alebat. Complutum, toto illo Doctorum collegio edendis Polyglottis Bibliis allaborante, externam omnem barbariem repellebat. Valentia, vel uno scientiarum Triumpho Ludovico aeternum corruptis artibus bellum indicebat: Nunneziium Barcinonem mittebat; Barcino, ingens illa Barcino, artium parens et altrix, Nunneziium, dono laeta, amplectebatur, fovebat, diutissime apud se retinebat. Aragonia, altrix illa Regum clarissima, Petrum Ciruelum, Geometricis et Astronomicis studiis et scriptis, ut se dabant illa initia, sanè clarum, pellendae Arabum methodo, Geometricis artibus promovendis, tantò ante Carthesium, Lutetiae ostendebat. Neque interea Ballearicum nomen tacebat. Inde ortum, inde spiritum duxit portentum illud ingenii, quod ante Rogerios, ante Verulamios, ante Erasmos, ante plerosque etiam claros Italos pellendis et scordiae, et tenebris, Europae illuxit, Raymundum ego Lullium dico, nostro vitio nobis non satis cognitum, exterorum verò laudibus celebratum. Quas non ille vires exeruit huic uni praeclarae rei obtinendae? quot non ille editis libris, quot claris ad Reges (Gallos etiam), ad Concilia, ad Romanos Pontifices missis literis, hoc summa contentione egit, ut

et scholis nugae Arabicae pellèrentur? aut arcana Naturae diligenter, et ex arte scrutarentur? aut docendis Orientalibus linguis Scholae ubique publicae instituerentur? Quid verò Raymundus profecerit, tot continuò huic uni rei scholae institutae, tot ubique erecta linguarum Gymnasia facillè ostendunt. Ac notiora caetera praetermitto: Barcinonense verò externis quidem notissimum, nostris tamen hominibus parùm notum, Sacrarum literarum, et linguarum Orientalium collegium, Dominicani PP. doctis viris jure merito à Jacobo illo vestro, Valentini, commissum, hoc loco praetermittendum non censeo: vel quod Jacobum Regem, quem cognomine Valentinum liceat dicere, auctorem habuit; vel quod Vincentium illum Ferrerium, vestrum decus, ibi diu istiusmodi doctrinis, et literis edoctum scimus; vel quod Subiratensem Raymundum illum Martinium, omnium Orientalium errorum, nobilissimo et eruditissimo non sine magna Hispaniae laude edito opere, egregium depulsorem, ibi altum ibi edoctum didici. Didici autem in Italia quondam, ex Lipsiensi externa editione, quod sciam, et pudeat, sanè unica; sed nitidissima, et Boivinii docti viri, atque aliorum doctorum hominum commentariis ornata; Galatini etiam, non incelebris Itali, ingenti platio, Scaligeri, et Boivinii diligentia planè comperto. His igitur viris, his scriptis, his studiis Hispania non mediae Scholae barbariem, et tricas fovebat; sed eam ex omnibus et scientiis et artibus, quibus maxime potuit viribus fugabat. At post renatas tandem per Europam cultiores literas, quantum illis Hispania nostra floruerit, quantum profecerit, vel uno illo Tridentino Conventu, quod superius docui, satis apparuit. Sed post egregia Tridentina decora, in media luce Ita-

liae, Roma ipsa, in illo omnium clarissimo Romano Soc. Collegio, quantum doctis hominibus Hispania valeret, Maldonato, Toletio, Mariana, Perpiniano, aliisque permultis auditis, et vidit et stupuit. Quid Galli? Dent aliquem ex tot Sorbonae Doctoribus, quem prae Maldonato Hispano frequentiores, et nobiliores conciones majori cum admiratione audierint: dent prae Perpiniano Oratorem, quem viventem magis catholica Gallia amplexa fuerit, defunctoque indoluerit: dent Sebudio Raimundo aliquem ante Cartesium, Paschali, Montagnium in sublimi rerum meditatione (*Pensees* illi vocant) clariorem. Ignorantia et socordia, nostroque summo vitio (35) planè fit, ut haec omnia benè nota Gallis, Germanis notissima, notiora etiam fortasse Anglis, nostros plerumque homines, etiam non indoctos, latere doleamus. Et quidem nisi haec ita essent, qua fronte externi quidam homines nos, nostraque, majoresque nostros tot conviciis incessere audent? Laudent illi quidem sua: fortasse non immerito interdum: nos nostra laudemus, ut Terentiano illo consilio persaepe utamar:

*Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuè.....*

Rogerium obtrudant Angli: nos contra Lullium. At Galatinum Itali: nos continuè Subiratensem Martinium. Verulamio triumphant alii, nos multò ante Verulamios omnes vel uno Valentino Ludovico superiores erimus. Erasmi praedivites Bibliothecas laudent Germani: nos contra elegantissimo, doctissimoque Cano, Victoria, Castroque, Aldrete, Maluenda, Mariana, Lacerda, Pererio, ingentique doctorum Criticorum agmine proposito, ac vel uno dumtaxat appellato Stunnica, perpetuo Erasmaniae

laudis adversario, tacere cogemus. Nam quod ad Historicos pertinet, omnibus notissimum puto, nulli nos unquam genti hac laude cessuros. Marianas, Blancas, Herreras, Moretos, Morales, Sepulvedas, Minianas, innumerabiles alios, si quis Machiavellos, aut Thuanos attulerit, proferemus. At Nauticam fortasse.....? Quid Nauticam? Canus ille, toto primùm superato Oceano, undarum victor, et Magni Columbii socii, et Navarchae, Georgius denique vester Joannes, qua patria tandem fuerunt? Sed artibus vincimur: Quibus? Nam bonis quidem artibus vincimur nullis. Uni ex omnibus gentibus Italiae, cui sunt omnes impares, hac liberalium artium laude concedimus; nec tamen maximis intervallis. Et quidem Italia ipsa, nisi omnia me fallunt, Morillos, Velazquios, Joannesios, Canos, Ribaltas, Carrenios, Berruguetas, Herreras, Velazcos, Vergaras, Covarrubias, Monegros, similesque istis non paucos, si posset, ereptos Hispaniae suos esse perciperet. Unum tamen est, illi ajunt, quos supra dixeram, nebulones, in quo sumus cunctis gentibus inferiores, Amoeniores Literae. Quid? Poëtis, Rhetoribus, Oratoribus ut vincatur Hispania? Atqui nulla alia fortasse re fuit illustrior. Poëtas mitto; nihil enim illis est toto orbe jam notius. Nihil moror etiam nostra illa Romana et vetera: domestica nobis et propria oportuit notiora fuisse. Quis enim pudor est (dicendum enim apertè quod dolet) quis, inquam, pudor hic est, Pinciani, Nunnezii, Granatae, Cypriani, Montani illius Aeriae, Cespedis, Antonii Lullii, et Monlorii Cives enavigandum sibi putasse Mediterraneum mare, superandum Oceanum, subeundum Tamesim, remotos adeundos Brittanos, ut inde ad nos Rhetorem tandem aliquem reportarent, qui Valentinos cives

post Vivem, post Alonenserm Martinium, post Monlorium, post Majansios, aliosque sexcentos, Rhetoricam, si Superis placet aliquando tandem doceret! Quamquam, quantum illud fortasse turpius? Hispanos homines, post tot ingentia Juris Civilis, et Canonici lumina, quibus vel illi ipsi et Grotii, et Heineccii, et Pufendorffii totas saepe implent paginas, et Batavarum ingentia volumina Symbolarum tota undique scatent, post recentiores etiam Fines-trosios, et Majansios, ex Germania et Italia Doctores petiisse. Proh pudor! Proh claram majorum nostrorum gloriam, profligatam his artibus, atque humi afflictam!

*Haec fierent, si virtutis vena ulla paternae
Viveret in nobis?.....*

At fusiora sunt apud nostros non pauca, inquit: compendiant. Obscuriora etiam fortasse quaedam: illustrentur. At situ vetustatis obducta non satis nitent: detergeantur. Sed dessunt recentiora nonnulla: supleantur. Rancidula alicubi fortasse abundant: siquae hujusmodi fuerint, recidantur. Quo enim alio pacto quotidie videmus, externos homines majorum nostrorum scrinia compilare?

Ergo agite, clarissimi Adolescentes; quibus orti majoribus, quantum Patriae vestrae debeatis attendite, eorumque ingenti laude proposita, incumbite etiam vos toto pectore ad laudem; laudem, inquam claris quaesitam meritis, egregiis, singularibus, Hispano homine dignis. Ita enim existimare debetis, egregium aliquid et summa laude dignum, nihil unquam sine magno naturam labore dedisse mortalibus. Hac arte majores vestri, non otio, et inertia, et vanis rerum, domi militiaeque, terra marique victoriis, artibus, scientisque omnibus clari fuerunt. Eos igitur, eorumque gesta clarissima

memori mente dies noctesque versate. Degeneres esse, tot tantisque ortos majoribus pudeat. Omnia denique summa, atque praeclara mente et cogitatione percipite, spe imbibite, animis informate. Ad extremum, nobilissimi Adolescentes Hispani, omnis Hispaniae vestrae, post faventes, ut dixi, Superos, et amor, et spes, haec ego vobis spondeo atque promitto; eos omnes, qui Catholicae Hispaniae gloriam, industria, ope, consiliis, aut auxerint, aut defenderint, aut servarint; non solum clarissimam apud posteros famam, sed summam etiam fore, veramque laudem ab illo aeterno consequuturos.

DIXI.

NOTAE.

(1) Scio alter haec legi in plerisque veteribus Editionibus sine Dorismis *ωπατρον, ερ ετην*: sed post Walchenarii Theoriturum editum, sensim ubique reponuntur Dorismi, inscitia, aut audacia inferioris aevi librariorum undique fere sublata.

(2) Legenda omnino Vita Sertorii, à Plutarcho diligentissimè scripta: ibi haec omnia de Metello et Pompejo, totoque Sertoriano bello à doctissimo Biographo copiosè narrantur, non sine magna Sertorii et Hispanorum commendatione. Quamquam non haec Sertorii vitam dumtaxat adolescentibus auctor sim, ut diligenter legant; sed omnem illam Vitaram Comparatarum congeriem eos vehementer hortor, ut nocturna velint versare manu, versare diurna, magno sibi adjumento futuram, et egregè formandis moribus, et omni civili et militari scientiae penitus peroscendae: praesertim verò Timoleontis, Arati, Cimonis, Philopomenis, Demosthenis, Ciceronis, Agesilai, Pompei, Coriolani, Catonis Uticensis, Marci Bruti, Titi Flaminii, Gracchorum, cum Agide et Cleomene comparatorum, Pyrrhi, Sertorii atque Eumenis. Nae illos hujusmodi saepius repetitae lectionis nunquam poenitebit.

(3) Superiori anno Barcinone Tarraconem accedens vidi non sine maxima voluptate egyptium illud P. et CN. Scipionum Monumentum, sive sepulchrum illud sit, seu potius Cenotaphium, adhuc, elapsis viginti saeculis, tot bellis superstes: qui duo clarissimi Imperatores, magnis in Hispania adversus Asdrubalem rebus gestis, tandem, ab eodem deleto eorum exercitu, ibi ceciderunt. Pater et patruus hi duo fuerunt magni illius Africani Scipionis, qui devictis in Hispania Poenis, astu pulso ex Italia Annibale, debellata tandem Carthagine, praeclearus majorum suorum et Romani nominis vindex exstitit.

(4) Saguntini, clarorum Edetanorum decus, quales quantique olim fuerint; unde orti quanta virtutis laude flourerint; eorumque civis Aedux quo bellico astu Patriam recuperaverit; quam praecleara de antiqua illius urbis dignitate, et splendore documenta supersint; quantique constitit Poenis de Saguntinis victoria; quam denique Annibal fuerit, in medio ipso triumpho, Hispania delibata morte superatus; haec omnia, apud veteres scriptores omnes milles celebrata, collegit in unum doctus vir

Gaspar Escolanus Lib. VII. Primae Decadis Historiae Valentinae ab octavo ad quartum usque supra vigesimum caput.

(5) Horat. Od. Lib. III. Od. 10.

(6) Plutarchus tamen in ejus Vita, decem annis elaboratum sit Panegyricum, alii undecim, nec desunt, ut idem ait Plutarchus, qui quindecim velint. Equidem ita existimo; Isocratem egregium illud opus, civili scientia refertum, quam Politicam dicimus, domi apud se diutius continuisse, interea dum dextram aliquod tempus spectat rei totius, quam sibi proposuerat, conficiendae. Vehementer enim optabat (id quod tandem, persuaso Philippo, ejusque Alexandro filio, feliciter contigit), ut Graecarum omnium urbium, ipsarum inter ipsas aeternis odiis bellisque depositis, vires omnes in Asiam adversus Persam, perpetuè Graeciae dominationi inhiantem, communi animorum sententione, Graecia tota converteret. Haec mihi multò videntur similiora vero: Nam inferioris aevi Sophistarum, et Grammaticorum narratiunculas minimi pendo. Siantae verò Plutarchi opus vitae illae Oratorum Graecorum, suat multi qui dubitent: mihi quidem certè non videntur.

(7) Saepè mihi de Cyde et ejus rebus gestis, omnibus tum veris, tum incertis, planèque falsis, sed carminibus vestustissimae notae, et publica populorum fama receptis, cogitanti in mentem venit mirari: cur, quum *Lusitanae* Camoëns; *Araucanae* Ercilla, *Bernardum* Valbuena praeclearè condiderint, ita ut, ubi ab Ariosto et Tasso discesseris (nam putidam illam Voltaerii *Henriadam*, blasphemiae, et taedii plenam, quamque nemo sanus unquam uno veluti haustu, integram legit, probis quidem hominibus neque appellandam censo), aliquem cui tu, illos compares, invenias neminem; cur, inquam, nemo Cydem, ejusque res gestas, et tempora, et mores, ejusque actus homines, omnia Homericis et moribus, et temporibus sanè simillima, egregio aliquo Heroico Carmine posteritati, et Musarum alumnis commendavit. Ergo aliquis vestrum, Valentini Adolescentes, rem aggrediatur, et Cydem vestrum Colocolo, et Bernardo clariorem, et Ajacl, aut Diomedem parem ostendat.

(8) Quid sibi vellent *Numeri* apud veterem Romanam militiam, siquis ignoret, praeter Mabilionium, Maffejum, et recentiores alios; adeat opus illud doctissimum viri inter paucos hujusce nostrae aetatis sanè magni, Romanae Curiae Praefati, tot annis Archivii secretioris Pontificii, et Vaticanae Bibliothecae Primi Custodis, Cajetani Marini, ejus, et summa eruditione et sin-

gulari humanitate, et germana amicitia mihi Romae frui diti licuit: cui operi hic est praefixus Italicus Titulus: *J. Papiri Diplomatici*: ibi pag. 297. tam multa tam praecelara, tam nova reperit, ut ea legisse nunquam illum profecto poeniteat postea. Erant scilicet *Numeri* cohortes quaedam militum selectiores: idcirco in Ambrosiano Hymno dicitur, *Te Prophetarum laudabilis Numerus*; electa videlicet cohors.

(9) Apud veteres scriptores parum haec certa, et fabulosis narrationibus plena; tamen, quod ad Aegyptios pertinet, post Math. Gesneri Praelectiones, et Cl. viri Smith doctissimas lucubrations, recentiorumque aliorum novas curas, de eorum navigationibus certiora feruntur. Sed ut haec ita fuerint, Indosque, et Colchos, et Herculeum fretum adierint; magna haec profecto, non nego; sed ad Columbum, ad Gamam, ad Magellanum, ad Canum penè nihil fuerint.

(10) Divinum quidem in quibusdam Vatis furorem quemdam fuisse (quod toto Ione maximopere Plato conatur efficere) quaedam, nec paucæ numero, apertissimæ praedictiones videntur ostendere: tres attingam breviter. Primam Homeri, alteram Senecæ, tertiam Vatis Valentini clarissimi Marinerii. Apud Homerum Neptunus Aeneadam generi sine ambagibus imperium promittit aliquando futurum propè aeternum

Kai παλὸν πάδες, τοὶ νεν μετόπισθε γέγονται.

quod ita vertit Virgilius

Et nati natorum et qui nascuntur ab illis.

Atqui hoc in Romulo, et Urbe Roma, et subsequitis Principibus, evenisse jam cernimus. Seneca et haec apertissimè narrat, seris tandem annis, longe post sua tempora, fore Navarcham aliquem, cui, superato Oceano, ingens demum pateat tellus, et *Novos detegat Orbes*; quod reipsa, seris post illum saeculis, Columbus praestitit; et in Questionibus Naturalibus de Cometis, et Astronomicis instrumentis non paucæ praesensit. Marinarius verò apertissimè post sua demum tempora, in Philippo tandem Quinto canit futura. Ut plane non de nihilo fuerit quod Antiquitas omnis divinos appellaverit quosdam praestantiores Vates. Sed haec scilicet lusinus humani more: nobis enim ex Apostoli Petri doctrina (Ep. II. v. 21.) certissimè constat, non unquam voluntate humana allatam esse hominibus prophetiam: sed Spiritu Sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines.

(11) Sunt, inquam, qui hoc nomine Philippum, ejusque clarissimi nominis famam divexerunt. Sed nae illi quidem, si quid

ego tamen sapio, vehementer errant. Equidem contra sentio, nihil quidquam tota illa aetate magis è re Hispaniae publicæ actum fuisse, quam ut in mediâ illa perampla victoria, recuperato maris imperio, deletis hostium viribus, sese Regni administrâ intra prudentiae fines continere potuerint. Videbant enim, satis sibi terrarum, atque regnorum et regendorum, et imminens viribus tuendorum, fuisse paratum: Quid si Asia, et debellanda, et tuenda perpetuis bellis; accederet? interea communem esse Martem, incertosque bellorum exitus, non ignorabant; Augustum sapienter intra Danubium et Euphratem continendum imperium censuisse: cur non ipsi ad Indos et Americam prælo imperio contenti essent? Sed manum de tabula, ut ajunt; alio haec fortasse tempore repetemus.

(12) Horum clarorum hominum Vitas legendas jam supra diximus apud Plutarchum. Addo etiam, adolescentium gratia, ut inter editiones antiquiores Plutarchi, caeteris omnibus Sylburgianam praefervant; ex recentioribus verò (vitarum dico) nam reliquorum Operum, Wittenbachii Anglica canotis anteponenda Graeco-Latinis) Reiskii Gr. Lat. cum notis sanè doctis, omnino adhibenda.

Pyrrhus ille Romanorum in Italia toties victor (Vid. Plut. in Pyrrhi Vita) *τακτικῶν* illam Alexandri et antiquorum non paullò meliorem fecerat: Demetrius verò Poliorcetes Machinariæ omnem bellicam, ut erat omnibus Mathematicis scientiis instructissimus, terra marique perfecerat (Plut. in Vit.); Aratus, urgentibus jam Antiochis, et Romanis, expeditiores multò militares motus invenit. Superest ex Graecis antiquis scriptoribus haec de re Aeneae Tactici opus non inutile, ab Emerico Casaubono, nisi forte, ut fit, memoria labascit, Graeco et Lat. cum Arriani Periplus editum.

(13) Quod dico de Isocrateo Timotheo, eò pertinet; quòd non ita pridem, hoc saeculo ineanne, pars magna Orationis Isocrateae *περὶ ἀντιδόσεως*, quasi dixeris, pro domo sua, ex Cdd. Mediol. et Flor. eruta, lucem publicam vidit. Ibi quis tandem fuerit et civis et dux, Isocratis discipulus, moribus et humanitate Magistro persimilis, hic Timotheus, multò melius, et copiosius quam apud Corn. Nepotem videre jam licet. Huic igitur multis in rebus fuit Flamininus hic similis: nisi quòd in Romani humanitate multum inerat artis persaepe; in Timotheo verò simpliciora omnia et veriora.

(14) Sylla et Mummius, quae Graeciae pestes, ille Athenas,

hic Corinthum atrocibus, et incendiis prope deleverat. Illud tamen est admiratione dignissimum: quod quum à Tito Flaminio ad Hadrianum Principem, tribus pene saeculis, nihil aliud egerint Romani et Proconsules, et Praefectores, nisi ut Graecarum artium spoliis Romam, et innumeras ad Urbem villas replerent; tamen si Pausaniae, Hadriano suppatis, doctum et eruditum iter per Graeciam legas; tam multa, tamque praefata artium monumenta ejus adhuc aetate superfulsse, non possis non vehementer mirari.

(15) De Papinio, et Lucano multa essent dicenda; sed me de hac re longius oratio praeterveheret, hoc unum dico: Papinium quidem nitidum quemdam esse, et elegantem scriptorem, ejusque omnia ferè ad aures, et praecepta singula dedolata; Lucanum verò salebrosam, imperfecti operis, et nondum castigati auctorem. Sed ut mittam omnia, quae de Lucano, et in eum, et multò plura et mellora pro eo sunt scripta; hoc dicam: Nihil ad artem et praecepta fuisse Apollonio exactius; Homerum verò, artis, et praeceptorum securum, dormire persaepe; tamen quis non, si ei fiat potestas, Homero se potius, quam mille Apollonis esse similem velit? Atque haec est ex Longino, (si tamen Longini Grammatici egregius hic labor est, ac non potius, quod jam multis suboluit, magni Halicarnassensis Dionysii) in opere *De Sublimi* petita doctrina: illud attentè perlegant, siqui ingentes Lucani animos, sublimium sententiarum capiam, doctrinae divitem suppellectilem, Papinii bene pexis carminibus, et frigidulae adulationi postponenda existiment.

(16) Cur nostri adolescentes, qui Poti Latinae dant operam, non in manibus frequenter habent egregia Prudentii Carmina? Lutinitati quidem, vel Erasmo et Scaligero iudicibus, nihil admodum, aut perparum aliquid decederet: accederet verò multum copiae, et christianis moribus. Neque id dico, ut ipsum volumen Carminum secum integrum portent; sed ut selectiora quaeque varii generis, enchiridiolo aliquo collecta edantur, quo facilius juvenum nostrorum manibus teri possint. Praesertim postquam doctus et sapiens vir, quem haec non nisi maximi honoris causa nomino, Faustinus Arevalo, tot nominibus Patriae suae carus, mihiq;e carissimus, Prudentium nobis nitidissimè editum, et illustratum dedit.

(17) Nisi longiusculum Platonis locum cernerem, quam ut Notulae insererem; non me continerem, quin hoc loco illum integrum ponerem: praesertim quum pulcherrimam et sublimis-

simam veri sapientis effigiem, pessimè deturpatam videam in illa percelebri Stephaniana editione, ex interpretatione Joannis Serrani. Neque satis intelligere possum (quamquam, lectis Cl. Fischèri ad Platonis Dialogos notis, non difficilis adeo est conjectura) cur Stephanus, graecè doctissimus, versionem istam Serrani nequissimam, quam nullies expertus sum nullo, aut planè contrario sensu Platonem reddere, typis illis elegantissimis, quasi stellis nebulam, voluerit spargere. Minus fortasse elegans Ficinus interpres, sed doctior, et vero proximior: itaque adolescentibus, qui graecis literis delectentur, auctor sum, ut Stephanianam editionem fugiant, Bipontinam quaserant, et commodiorem multò, et versione, et aliis adjumentis praestantioram. Quod si quis graeca nolit; legat Cl. viri P. Le-Grou praestantiora quaeque Platonis Opera Gallicè egregiè versa multumque laudata. Nunc mihi quaedam superessent dicenda de quibusdam Transpyrenaeis Platonis osoribus: unde tandem haec natio ortum duxerit, quibus auctoribus maximè profecerit, quid sibi denique isti velint, quid in eos tantum peccaverit Plato: haec omnia, diligenter investigata, me comperisse existimo, et erit; favente Deo, quam totam evolvam Fabulam, oportuniore tamen et loco et tempore.

(18) *Telluri*, dixi, *ferè universae*: nam revera, si Hispanos Arabes doctos viros, Alphonsi etiam praefectores, excipias; de hisce rebus sublimioribus profundus, post eversum Romanum Imperium, Europam omnem occupaverat sopor. Sed quum de doctorum Arabum scriptis tam copiosè ab externis, et Hispanis scriptoribus, praesertim, in immortalis opere, à viro Cl. Joanne Andresio Soc. Jesu pertractata sint omnia; verbum non amplius addam.

(19) Res est notissima, et veteribus et recentioribus edita libris: sed non sine maxima voluptate legentur, quae Nicolaus Antonius in Biblioth. Vet. ubi de secundo hoc agit Villenio, et prosa, et versibus antiquis illis suavissimis scripta refert: praesertim verò ubi illius tragediae flammaram auctoris deformatam imaginem, et egregiam sanè Cl. Villenii laudationem affert. Quam illa suavia, ubi laudans clari viri doctrinam astronomi-canam Mena Vates haec habet:

*Que supo las causas y el cómo y el cuándo,
De fuego, de rayos, de son de tonitruos!*

Cui haec non sapiant, huic ego homini, ut vel Platonem oderit libenter dederim.

(20) Quid haec innuere velim, docti ut opinor homines fa-

cilè intelligent. De illo nimirum scripto sapientissimo loquor, Roman ad Pontificem misso, in quo illius maximi Toletani Concilii in causa Durarum Naturarum, doctissimam et gravissimam Apologiam texuit.

(27) Quinam hi fuerint quantique viri, si quis nesciat, adeat in Bibl. Nova Nic. Antonium. Sed hoc loco monendos mihi paululum lectores puto; me haec raptim fere omnia, et nullis adhibitis libris, deprompta ex vetere studiorum memoria, scriptae Orationi mandasse. Scio ego, multò plures doctos viros me facile adducere potuisse, sunt enim innumeri; sed hoc Bibliothecae opinor, opus esset, aut magnae alicujus Apologiae: summos igitur ipsos tantum, ac veluti primores arripui, et haec, et deinceps singulis in locis. Nam Oratores ex. c. ad Concilium Tridentinum, quis nesciat multò plures fuisse, vel ex Indicibus Bibl. Novae? Academiae etiam nobiliores tantum apud externos tango: nisi enim hoc fuisset, una me Baetica, nobilissima Hispaniae laus, una Hispalis, tot Artificum, tot Sapientum clara nominibus, Carpetania me sola diem narrandis aliis ademisset.

(28) Εμπεδύτων illum Le Vassor, (cervitum, et attonitum Latini dixerint) hominem non Anglicanis tantum, ad quos A-postata olim perlugerat, sed suis etiam ipsis ex Batavia Calvinii asseculis plant odiosum; hoc loco fortasse, post alteram magis illius Dictionarii Cl. Feller editionem, missum fecissem; nisi esset mihi novi aliquid, quod addi posset. Casu aderam Romae in aliquo Vaticanae Bibliothecae angulo, nescio cui veteri Codici intentus, quum repente nuntiatum est, adesse summum ipsum Vat. Bibliothecae Praefectum, Valentium Cardinalem Gonzagum: ut Cardinalis ascedit, accedunt famuli à quibus donum nescio quod, video tradi Marinio Primo Custodi, quod ubi vir gravissimus Marinio commendavit ejusque fidei commisit, donum extemplò reddidit. Accedo ad Marinium, quid illud doni sit rogo: aderant dono data rariora non pauca. Sed Marinus laetitia triumphans, quem habebat in manibus librum ostendit. At haec erat ipsissima prima vera editio operum Cl. Vargas: nihil illic acerbum; aut asperum dictum in Romanam Curiam; omnia contra plena summi in Petri Sedem amoris et reverentiae. I nunc et insanoram quorundam hominum fumo et fabulis crede.

(29) Academiam illam; non certè olim incelebrem, veluti propagatam dixi ex Valentina Academia. Ex ea enim Emeritus ibi in Theologia Professor, Mog. Hieronymus Perez, ex Regio PP. Mercenariorum Ordine, virum et literis et virtute clarissi-

mum; Dux sanctissimus Franciscus Borgia Gandiam evocavit. Quid ibi egerit, quos discipulos in Sacris Literis erudit, ipsum Borgiam, Emmanuel Sa, Ovidium illum sanctissimum Aethiopiae Patriarcham, et permultos alios; haec omnia latè descripta in Bibl. Valent. vir diligentissimus Vincentius Ximeno, et in Vita S. Fr. Borgiae Cardinalis de Cisneros, et praecipub in Historia Soc. Jesu, cum summa Societatis erga tantum virum, tantopere de se benemeritum, grati animi significatione, videri facile possunt.

(24) Verissimum profectò est, Mediam Scholam, quae à duodecimo ad decimum quintum saeculum, vel floruit, vel efferebat, Lutetiae praesertim et in Anglia; multum à pristina Christianae Scholae laude, multum etiam ab elegantiore cultu Scholae decimi sexti saeculi distare. Sed quid deinde? quid censimus? ideone omnes ubique homines, quicumque aliqui in schola aut didicerint aliquid, aut docuerint, quo nomine etiam Scholastici erant, et vero etiam dicebantur (vid. Augustinus saepissime, et Hieronymus, et Ambrosius) ejciendos esse ex hominum societate putavimus? atqui, si ita est, Basilium et Nazianzenum, elegantissimos, omniumque artium doctrina excultos viros (vid. Nazianzenum in Funebri Laudatione Basilii) quòd scholastici Athenis fuerint, rejiciemus. Scholasticus etiam Hieronymus: ex Schola enim totus profecti. Scholastici non solum omnes fere Patres et Doctores Ecclesiae veteris; sed et Demosthenes, et Theophrastus, flos ipse elegantiarum, quòd Scholastici fuerint, ex Schola enim ambo prodierunt, explodendi scilicet omnes. Rem sanè ridiculam! Non igitur odio nominis laborare oportet doctorum hominum famam: sed ipsa re et scriptorum suorum meritis sunt omnes censendi. Sed de ortu Scholasticae illius, omnibus sanae mentis hominibus rejciendae, satis multa in Oratione sunt dicta. Nam si, Scholasticorum nomine, elegantes et doctos omnes, ab initio xvi. saeculi ad xvii. dimidiatum saeculum, è Schola scriptores, quibus tantopere praestit Hispania, quorum scripta et Wolfius, et Grotius, et Heineccius, et Puffendorffius, et eruditissimus Anglus Spencerus (in opere sanè docto, tametsi paulò licentius scripto, de Legibus Hebraeorum) et fere omnes docti Germaniae, Angliae, et Italiae scriptores, praesertim ubi de Justitia, de Republica constituenda, de Legibus sermo est, Suardos ego dico, Victorias, Vazquios, Covarrubias, Sotos, Maldonatos, Valentias, assidub laudant; quòd aut scholas habuerint, aut è Schola prodierint, rejiciemus; quid

nobis verae laudis futurum sit reliquum, omnino non video.
(25) Quod verò postea inuimus, nostros saepe Scriptores clarissimos, nobis aut ignotos omnino, aut parum notos, notissimos esse Gallis, Anglis, Germanis aliisque; res ipsa docet. In Italia et Latine et Italice legi Sebundium: Quam oppido pauci intra Hispaniam docti viri hoc opus legerunt! Atqui ejus operis Gallicas binas esse scimus versiones, ambas fortasse Montagnii, alteram certè. Aldretae opus clarissimum, omni eruditione, et linguarum cognitione refertum, in Germania editum et scio, et legi. Pugionis Fidei Lipsiensem editionem vidi, Hispaniam expecto. Josephi Antonii de Salas doctissimum Commentarium Latinum in Petronium Arbitrum ex Hispania non vidi, ex magnifica editione Batavica toti Europae notissimum. Denique Polyhistor doctissimi Morrhoffii sumatur in manus, alique bene multi Historiae Litarariae Germani scriptores: quam multa ibi, nobis ignota, doctorum Hispanorum Opera et edita, et manuscripta laudari, aut desiderari mirabimur? Unum ex his est, quod silentio praeterire nolum. Saepe enim Germanos doctos viros integram Ruizii de Montoja Soc. Jesu Operum Editionem desiderare perspexi, atque eo nomine de nostra negligentia etiam conqueri. Incredibile enim dictu est, quantum ejus modestia, eruditio, et sapientia cunctis placuerit, quantoque magno illi Petavio in pretio fuerit.